



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia IV. De potentiis materialibus tam externis, quàm internis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

non indiget alio suppleto vnione, ad hoc enim vt subiectū forma careat, nō requiritur aliquid, quod suppleat vices formæ, quæ caret. Neque anima rationalis in statu separationis habet modum aliquem suppletē defectū vnionis.

7 Adde magis connaturale esse accidenti, careere illo modo, quàm illum habere in statu separationis, quod sic probatur. Modus ille non est formæ connaturalis, neque necessarius adhuc pro illo statu, vt probatur, ergo si daretur, saltem esset præter illius naturam. Deinde opponeretur cū modo essendi in subiecto, quæ exigit accidēs, ergo esset cōtra illius naturā, sicut est contra naturam aquæ habere calorem oppositum cum frigidityte, quæ exigit, & magis naturale est aquæ, adhuc non frigida careere calore, quàm illū habere.

8 Obiicit. Accidēs separatū est per se, ergo non indiget modo perfectitatis. Resp. accidēs separatū esse per se, nihil aliud esse, quàm existere cum independentia à subiecto, quod habet per creationem, quæ indigere fautor in statu separationis; Alio tamen modo distincto egere nego.

9 Obiicit. secundo: Formā substantialem in statu reparationis habet modum perfectitatis, ergo eundem habebit forma accidentalis. Resp. formā substantialem separatā à subiecto, retinere substantentiam partialem, si illam propriam habebat in subiecto distinctā à substantentia materia: si verò substantēbat indiuisibili substantentia totius, in statu separationis, illi tribui modum quandam suppletē substantentiam, quàm habebat in toto, non verò modum suppletē vnionem ipsius cum subiecto, neque aliquem distinctum à creatione suppletē dependentiam, quàm habebat ab eodem, si materialis erat, & ex ipsoeducta; accidenti verò nullum modum tribuendum esse distinctum à creatione, quia cū in statu vnionis non haberet substantentiam, non indiget in statu separationis modo suppleto vices substantentia, cuius est incapax.

10 Quinto inquiritur: An in anima vegetatiua distinguatur potentia generatiua, nutritiua, & augmentatiua? Plures de hac re lege opiniones apud Patre Rub. lib. 2. de anima, c. 4. de potentiis animæ vegetatiuæ; q. 2. Affirmo breuiter, Potentiam nutritiuam non esse distinguendam à potentia augmentatiua. Ratio est, quia nutritio, quæ est actus potentia nutritiua, non differt ab actu potentia augmentatiua, qui est acquisitio quantitatis per aliquid intrinsecū sed tantum per connotationem subiecti quantificati, ad quam tantum requiritur quantitas informans subiectum, sed ad hoc vt quantitas informet subiectum, circa quod fit nutritio, & ad hoc vt fit nutritio, non requiritur potentia distincta à nutritiua; ergo nō est superaddēda, quia vbi non est actus distinctio, non debet potentia admitti. Quod si vt viuens fiat maius quantum, vno quantitatis acquisita cū quātitate præexistente requiratur pro hac vnione, etiam si deus necessario requirit ad quantitatem quomodocūq; acquirēdā, nō est multiplicanda noua potētia, quia tota quātitas à materia producit, cui inhaeret, & ita vno quātitatū producit ab vnione materiæ, ex cuius potētia educitur.

Dico insuper, si nomine potentia generatiuæ intelligatur virtus productiua seminis, hanc non distingui à nutritiua, quia eadem potentia, quæ in materia cum his positionibus oīa producit, neruos in alia, in alia carnem, sanguinē in alia, & in alia lac, poterit & in alia semē elaborare. Saa-deri potest hæc sententia ex alia, quæ multi Medici ex principiis anatomicis certam putant, videlicet partes, in quibus semen decoquitur, ali ex ipse semine ex quo infero ad virtutem illā, cui incumbit partes illas nutrire, spectare semen elaborare, vt illud tanquam materiam aptam ad nutritionem illarum partium disponat.

12 Vltimò affirmo, si nomine potentia generatiuæ intelligatur virtus, quæ immediatē foetum attingit, siue in semine residens, siue matri inherens, virtus generatiua à nutritiua distinguitur. Probo hanc conclusionem ex modo longè diuerso, quo effectus harum virtutum produciuntur, & distinctione actuum illorum, ex quibus tota distinctio aliarum potentiarum desumitur. Virtus enim generatiua respicit terminum necessariū transeuntē productum, virtus nutritiua terminum immanenter ab illa necessariū produciendum, quod si aliquas exerceat actiones transeuntē hanc virtus, scilicet dispositionem alimenti, aliāve huiusmodi hæc omnes ordinantur ad præcipuam actionem immanentem, scilicet conuersionem alimenti in substantiam aliti, vel illam consequuntur, productio verò foetus valde à nutritione in modo procedendi à suo principio differt, neque ad nutritionem ordinatur, neque illam consequitur.

Francisc. de Ouidio, Philosoph. Tom. II.



CONTROVERSIA IV.

De Potentiis materialibus tam externis, quàm internis.

DVo sunt potentiarum materialium genera, externarum, & internarum: Potentiæ externæ sunt, quas quinque corporis sensus vulgò appellamus, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quæ vt plurimum semper idem animal omnes simul comitantur, in aliquibus tamen non omnes reperiuntur, talpa enim caret visu, aliaque animalia odoratu. De numero potentiarum internarum magna est disputatio, pluresque Philosophorum opiniones, vnum tamen est certum dari sensum communem, & appetitum materiale, an verò plures dentur sensus interni breuiter definiam. Omnia, quæ ad materiam huius sectionis spectant, suspensio brachio attingam, quia plus oblectamenti, quàm vtilitatis asferunt, & præcipue quia vix ratio efficaciter concludens hac in re inuenitur. Adeat Conimbric. Patres, qui plura de his potentiis fasè, eleganter, lepidè, & eruditè pertractata legere velit, qui à 7. cap. libri 2. de Anima agunt de potentiis externis, & quatuor prioribus capitibus libri tertij, de potentiis internis.

PUNCTVM PRIMVM.

De Potentiis externis.

Breuissimè quæ ad has potentias attinent hoc Puncto attingam, quia non alia maiori indigent discussione.

§. I.

De visu, & visibili.

Visus est inter omnes sensus præstansissimus, vt patet ex latitudine sui obiecti, & ex modo illud attingendi, & mira deorganizatione ad suas functiones requisita. Constant oculi septem musculis, quibus mouentur, tunicis quinque, tribus humoribus, neruis duobus. Musculos inuenit natura vt globum faciliè in omnes partes conuertant, quibus vnus sursum, alter deorsum, duo ad sinistram dextramque mouent orbem: duo illum circumferunt, & eundem septimus eum sustentat. E tunicis intima specularis vocatur, quia instar speculi niter: huic proxima reticularis, quia venulis & arteriis intertexta figuram retis exhibet: tertia vana dicitur, quia similis est vix folliculo, pedunculo carenti: quarta cornea, quia cornu in tenuissimas laminas infectum refert: quinta alba à colore nuncupatur, adnata, seu adherescens, quia illius beneficio stat tota oculi fabrica. Ex humoribus intior dicitur crystallinus, medius vitreus, extimus aqueus, quia similitudinem crystalli, vitri fusi, atque recocti, & aquæ referunt. Duo nerui optici, siue visorii à cerebro in oculos mittuntur, in quos spiritus animales trahuntur.

Probant PP. Conimbr. c. 7. visionem fieri in humore crystallino, qui centrum orbis obtinet, quia si in membris opticis fieret, cum aliquando nerui valde distent, obiecta duplicia apparerent. Neruos opticos aliquando distare, probant ex Vesalio c. 4. lib. 4. de fabrica corporis humani, dicente se Patavij quendam secuisse, cuius nerui visorii à cerebro ad oculos vique diuisi erant, qui tamen geminata à simplicibus discernebat, neque vnquam illi simplex obiectum duplex apparerent. Huic rationi non acquiesco, quia humor crystallinus oculi dextri distans est ab humore crystallino sinistri, & in vtroque visio, tamen obiectum vtroque oculo visum non apparet duplicatum. Nihilominus assero visionem fieri in hoc humore, quia hæc pars oculi est maximè lucida, & conspicua præcipuum obtinens locum, cui reliquæ partes deferunt, neque fortiozem aliam rationem huius conclusionis reperio, sicut neque opposita magis cogruentem.

E

Obiectum

4 Obiectum visus esse colorem & lucem, utrumque formale, quia utrumque per se visionem terminat, suadet experientia; nullum enim aliud obiectum hac potentia sentimus, & hæc illis attingi, ipsi oculi testes sunt. De distinctione coloris à luce disputant Conimbr. c. 7. q. 2. ubi varias opiniones referunt. Esse colorem apparentem, qui à luce non distinguitur, sicut color Iridis, & qui in columbæ collo conspicitur, probatur, quia secundum diuersos aspectus, diuersas apparet, cum sit idem semper, inde illius apparentiæ minimè credendum est; color autem papyri, croci, & atramenti quomodocumque inspicitur, semper album, nigrum, rubrumve videtur. Ex quo inferitur hunc esse verum fixumque colorem, à luce distinctum, & illum tantum apparentem luce identificatum. De natura colorum mediocriter tantum vide Conimbr. ibidem quæst. 4.

5 Lumen posse videri sine colore patet in aëre, in quo videtur lux absque colore aliquo: colorem autem non posse sine lumine videri, certum est, cum in obscuro loco nullum colorem cernere possimus. Est dubium an lux requiratur ex parte mediæ, vel ex parte obiecti Conimbr. q. 4. art. 2. docet requiri ratione utriusque. Affirmo cum Hurt. disp. 17. sect. 2. Arriag. disp. 5. sect. 3. subf. 2. tantum ex parte obiecti requiri, quod probō. Homo existens in vltima parte specus per medium illius obscurum valde videt obiectum illuminatum existens foris: ergo lumen tantum requiritur ex parte obiecti, non ex parte mediæ. Dices, semper medium habere aliquam lucē, quæ sufficit, ut recipiat species obiecti existentis deformis: Contra: ergo si medium habet lucem sufficientem ad recipiendum species obiecti existentis foris, etiam poterit recipere species coloris existentis in medio specus, & videre talem colorem: si enim lumen requireretur tantum ex parte mediæ, sicut obiectum illuminatum existens extra specum per medium specum obscurum valde videtur, sic videri posset existens intra eundem specum, quod non contingere suadet experientia.

6 Deinde si aër inclusus intra specum habet sufficientem lucem ut recipiat species corporis existentis extra specum, lux existens in specu videri posset, hanc tamen non videri nisi valde propinquam certum est, quia si in medio specus ponatur corpus opacum, nullum impedit visionem, nisi forsitan corporis extra specum existentis: ergo non videbatur lux aëris existentis post corpus opacum.

7 Quomodo lux colorem inuenit ad producendam sui speciem, ex nullo capite potest à priori, neque à posteriori probari. Aliqui affirmant esse conditionem requisitam, ut color illam producat, ego non inuenio quod genus sit hoc conditionis, quapropter assero in re dubia efficienter lumē cum colore concurrere ad productionem speciei coloris.

§. II.

De Auditu, & audibili.

8 **A**uditus obiectum tantum est sonus, qui rectè definitur: *Qualitas producta per verberationem aëris duobus corporibus se inuicem trudentibus.* Corpora dura aptissima sunt ad sonum efficiendum, ideo metalla magis sonant quam alia corpora mollia. Benè tamen notantur Conimbricenses c. 8. quæst. 1. non esse necessaria duo corpora dura ad efficiendum sonum, quia aqua fluente, & aquis inuadentibus aliis, ex huiusmodi corporibus fit sonus. Nullum aliud obiectum auditu percipi posse constat experientia.

9 Subiectum soni est corpus interceptum corporibus se inuicem trudentibus, sicut ex illius fractione, seu compressione fit sonus, sic in illo recipi potest. Deinde, quia immota campana, quæ sonum producit, constat moueri subiectum soni, cum in hoc medio audiatur, in quo antea percipi non valebat, quod aliter contingere non potest, nisi per nouam approximationem localem, quia virtus producendi species in sono est eadem, & hæc in instanti producantur, cum careant contrario.

10 Non tantum aër, sed etiam aqua est subiectum aptum ad recipiendum sonum, & ad species soni sustentandas. Ita contra Hurtad. docet Arriaga suprà subf. 3. & Conimbr. c. 8. q. 2. art. 1. quod probatur, quia auditur aquarum murmur defluentium per profundas fluminis partes, etiam si extimæ, quia congelatæ, vel alià de causâ detineantur, quod probat aquam sonum edere, & illius species recipere; & hanc secundam partem confirmat fuga piscium audientium voces, vel alium corporum strepitum. Neque rationem alicuius momenti pro sua sententia adducit

Hurtad. tantum ex illo contra nostram sententiam obici potest, hominem existentē intra aquam nihil audire, quod forsitan non omnino verum est, difficile enim credo hominem palmo aquæ obiectum ingentem bombardæ sonitum prouenire ex distemperie, & adhuc hoc admisso, Resp. hoc miditas aquæ causat in organo auditus.

Inter sonos vox est omniū præcipuus, definitur ab Arist. *Itius aëris respiratione attracti, qui ab anima in pulmone trahitur cum quadam imaginatione efficitur.* Itius nomine, sonum solum productum intellige, qui genus est in hac definitione, reliqua verò locum differentię obtinent. Vox tantum conuenit animantibus, non tamen omnibus, pisces enim voces non efformant, neque mulcæ, licet enim murmur exciunt cum volatu attollunt, hoc non fit organis requisitis ad vocem, neque cum imaginatione, sed tantum eodem modo, quo fieret alio emortuo corpore moto.

Auditus valde necessarius est ad disciplinas acquirendas, vitamque politicam degendam: est enim minus fit nobilis visu, certè valde necessarius, miserrimè enim vitam degunt omnino surdi. Aures aptissime sunt ad huius potestatis vsum, emittunt enim species collectas, & ita illis videntur, ut eam occludat aliis corporibus potentia noxiis. Intra formam auris membrana quædam continetur, quæ tympanum vocatur cavitatem orbicularē trahens, quam tria officula stabilunt, quorum primum incales pedunculis innitens duobus, secundum malleoli, & tertium stapedæ figuram retinent: intra membranam cōtinetur quidam veluti in natus aër, ita tectus, ne effugiat, vel distemperiem pariat. Tympanum affixum est cuidā nervo, per quem spiritus animales trahuntur ad suas per ficēdas operationes. Sensatio auditus fit in parte intra tympanum cōtenta, quæ aptissima est ad hanc sensationem, sicut aër ad species illi deferuientes recipiendas, lege Conimbr. suprà.

§. III.

De Olfactu & Odore.

Olfactus, sensus est odoris tantum perceptiui relictus sub naribus: natus præter pulchritudinem, quam facies affert, & utilitatem capiti ad excrementa expellenda, aptissimus est ad sensationem olfactus, delectat enim aërem attrahens, quæ attractione panduntur duæ portule immediate organo olfactus, per quas odor ingreditur, & hæc est causa, propter quam respiratione non officiamus, secus aspiratione, quæ aër attrahitur. Hæc portule sunt in parte inferioris cavitatis existentis intra oculos, & nares, quam habitant caruncule mamillares ita dictæ 3. mamillæ figura. His carunculis subiicitur os quoddam tripartitum multis foraminibus instar cribri patens, habet tamen duo insignia, aliis duobus foraminibus nasi correspondentia, hoc os cribrum, & spongiosum dici solet. Oloratus relictet in carunculis mamillaribus, quæ additiore locomotione, ad quas reliquæ partes organicæ ad hunc sensum pertinentes ordinantur, lege Conimbr. c. 4. quæst. 4. art. 2.

Affirmant aliqui odorem esse substantiam quandam per medium diffusam, quæ ad olfactum peruenit, & sensationem efficit. Dicendum tamen est esse qualitatem, quia substantia nullo sensu percipi valet, hanc sæpè per mediū diffundi simul cum aliquibus partibus substantiæ, cui inhaeret, negari nequit; videmus enim plures substantias odoriferas in partes fumosas exhalari. Dici etiam posset non esse necessarium, hanc qualitatem ita diffundi ut sensu percipiatur, sed posse mediis speciebus sentiri, ut patet in electro, & in aliis substantiis odoriferis, quæ latissima spacia, pluraque successeuū odore replent, & diu durant: quid verius, dicendum ubi de speciebus huius potentie.

Qualitas odorifera definitur potest: *Qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum siccitate, & calore aliis qualitatibus dominante.* Substantie enim odoriferæ, quod magis calefiunt, manibique trahuntur, maiorem odorem emittunt, & in hyeme, in qua humiditas cum frigiditate viget, minus percipiuntur vina, aliæque substantie odoriferæ quàm verno tempore.

Probos odor salutaris, sapidique cibi signum est: foetor verò nociui, atque corrupti, & ideo ut plurimum odore examinamus cibos insumēdos, quapropter aptissime nares sunt supra os appositæ, veluti custodes, & examinatrices ciborum, ut salubribus oris ingressum permittant, & nocuos abigi moneant.

§. IV.

17 **G**ustus est sensus saporum perceptivus: residet in lingua, præcipue in cuspide, necnon in radice linguae, seu in palato. Prior pars probatur, quia cum volumus saporem cibi examinare, illum ad linguæ cuspide trahimus. Posterior suadetur, quia gustum sentimus cum cibum per palatum ad stomachum traicitur. Linguae deorganizationem describunt eleganter Conimbric. c. 10. q. 2. art. 2. eos, si placet, lege.

18 Sapor definitur, affectio in humido aqueo facta à secco terrestri calore decoquente. Contra hanc definitionem obicitur plures cibos valde secos habere saporis: ergo sapor non oritur ab humiditate. Respondent recte Conimbricenses cap. 10. q. 1. art. 1. plures cibos plus habere siccitatis, quam humiditatis, saporis tamen semper oriri ex humiditate, etsi remissam non verò ex siccitate quantumvis intensâ. De saporum speciebus & distinctione vide Conimbr. art. 2. ibidem.

19 Sunt, qui tactum à gustu non distinguant, falluntur tamen, oppositam enim sententiam recte probat Conimbr. c. 10. q. 2. & cap. 11. q. 1. ubi utriusque sensus assignat organa. Tactus, seu tactiva virtus per totum corpus diffunditur; residet in carne, & præcipue in nervis, ideo partes, quæ plures habent nervos, vivacius percipiunt qualitates tangibiles: sanguinæ, & ossa non sentire communis docet opinio.

20 Obiectum tactus, sunt quatuor primæ qualitates, asperitas, suavitas, durities, & mollities. Adde qualitatem doloriferam & voluptuosam, quæ tanguntur in sensatione, quâ consistit dolor & voluptas externa sensus tactus. Sentitur etiam impulsus tactus, sic sentit animal onus sibi impositum, imò asperitatem tantum sentire existimo medio impulsu, quia asperitas nihil aliud est, quam partes quædam eminiores aliis, eiusdem corporis, quæ partes maiorem impulsu imprimunt manui tangenti corpus, quam aliæ depressiores, & impediunt manum trahi per corpus ratione cuius impedimenti asperitas sentitur. Deinde corpora aspera aliquando habent partes desinentes in cuspide acutâ nimis, quæ pungunt corpus animalis tactum, & illi dolorem inferunt, ratione cuius sentit animal asperitatem, cum verò abique vlla offensione manui permittit corpus per ipsam attrahi, tunc corpus illud suave vocamus.

21 Circa tactum aliquæ insurgunt difficultates: prima est, an tactus sentiat objecta recepta in ipso organo, an verò illa tantum quæ sunt in subiecto extraneo; Secunda an tantum sentiat exuperantes qualitates v.g. an manus calida ut quatuor tantum sentiat calorem ut quinque, vel ut sex, non verò alium calorem ut quatuor?

22 Suarez ibidem docet tactum non sentire qualitatem receptam in ipso organo, posse tamen sentire calorem partis immediatè unitæ. Secundò docet tactum tantum sentire qualitates exasperantes, v.g. manum calidam ut quatuor non sentire calorem ut quatuor aliis subiecti, sed alium intensiorem: ait enim has qualitates tantum posse subiectum intentionaliter mutare quando possunt realiter agere in illud, cum verò calidum ut quatuor in calidum ut quatuor non producat calorem, ita neque species impressas caloris, neque sensationem eiusdem. Alij apud Ariagam supra, docent tactum tantum sentire qualitatem receptam in ipso organo tactus. Meam sententiam aliquibus conclusionibus aperio.

23 **PRIMA CONCLUSIO.** Ad hoc ut tactus sentiat qualitatem non est necesse hanc recipi in ipso organo tactus. Probatur conclusio. Manus igni applicata vehementer sentit calorem, in quo ignis non applicatur manui: ergo manus non tantum sentiebat calorem in illa receptum, quia hic eodè modo sentiretur amoto igne; quia cum calor non deperdat in conservari à primo producente, hoc amoco perseverat, ac proinde calor receptus in manu præsentem igne eodè absente in eadè manu per aliquod tempus perseverat.

24 **SECUNDA CONCLUSIO.** Ut obiectum tactus immutetur subiectum intentionaliter, non est necesse ut possit idem realiter immutare per productionem similis qualitat. Hanc conclusionem probò à paritate subiecti visus, quod subiectum immutat intentionaliter, & non realiter: color enim speciem sui producit in subiecto, in quo nullum producit colorem. Si verò dicas colorem non esse productivum aliis coloris, esse tamen productivum speciei, ac proinde subiectum intentionaliter, & non realiter immutare. Idem argumentum in luce efformo, cui non poteris hanc adhibere

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. 11.

re solutionem. Lux distans à luminoso non immutat realiter per productionem lucis partes aeris immediatiores ipsi luminoso, quod omnes concedunt in actione non reflexivâ, & illas immutat intentionaliter, quod sic probò. Homo existens prope luminosum videt lucem distantem à luminoso existentem in extrema parte cubuli: ergo lux illa visâ producit speciem sui per totum medium, quod est inter hominem videntem, & ipsam lucem visam: ergo immutat intentionaliter partes propinquiores ipsi luminoso quas realiter non potest immutare.

25 **TERTIA CONCLUSIO.** Tactus sentit calorem, seu aliam qualitatem excedentem intensiorem illam, quam exigit organum tactus ad sui temperaturam, siue hic calor sit in alio subiecto, siue in eodem organo tactus. Prior pars, videlicet sentire hunc calorem existentem in alieno subiecto patet experientia, & ab omnibus admittitur. Secundâ verò, scilicet sentire hunc calorem receptum in eodem organo sic probò. In primis quia nulla est ratio, neque experientia quæ suadeat hunc calorem receptum in ipso organo non sentire: nulla est ratio, quia, ut dicebam modò, ad hoc ut qualitas immutetur subiectum intentionaliter, non est necessarium, ut illud realiter possit immutari: nulla est experientia, imò hac meam conclusionem probò: quia dum quis febris ardenti laborat, sentit vehementer calorem receptum in eodem organo tactus. Respondetis nullam partem sentire calorem receptum in ipsa, sed alium receptum in parte vicina. Contrâ si pars tantum sentiret calorem partis immediatè in sententia horum, tantum sentiret calorem partis immediatè exsuperantem calorem existentem in parte sentiente: ergo cum omnes partes non possint alias calore superare, non omnes calorem sentirent, sed tot partes essent in laborante febris, quæ calorem sentirent quot essent, quæ non sentirent calorem, quod est contra experientiam, cum enim febris statum implevit, nulla est pars in infimo, quæ nimio calore non æstuet.

26 Deinde probò meam conclusionem, quia durum ac difficile est asserere hominem recipientem calorem ita intensum ut illo comburatur, non senturum hunc calorem, neque dolorem aliquem perpassurum, si hic calor æquè in omnibus suis partibus sub eadem intensiōne produceretur, quod fieri posse saltem à Deo negabit nullus.

27 **QUARTA CONCLUSIO.** Tactus non sentit calorem debitum ad propriam temperaturam receptum in ipso organo tactus, quando in prima animalis conditione recipitur in illo, vel diu cōservatur. Hæc conclusio constat experientia, illius tamen ratio est ignota valde, & in nostra sententia difficilis, cum dixerimus qualitatem in ipso organo receptam sentire posse: id posset in naturam potentie reduci à posteriori cognitum, & non à priori, quod in hac materia sæpè necessarium est difficultatum asylum; nihilominus hæc ego ratione propono, quam aliorum examini remitto. Ut sensatio eliciatur necessum est, ut anima ad illam eliciendam convertatur, & ab aliis operationibus vacet, quibus distrahi potest à sensatione eliciendâ, quæ conversio licet in actu secundo fiat per ipsam sensationem, seu productionem eiusdem in actu primo, sit per præsentiam intentionalē obiecti apti, siue per se ipsum, siue per speciem impressam ad producendam sensationem: quæ intentionalis præsentia animæ reuocat ab aliis obiectis, & illam trahit ad productionem sensationis, quando talis præsentia est quasi nova animo, & illi non connaturalis: animus enim insolenter tactus præsentia obiecti se ipsum convertit ad sensationem illius: cum verò præsentia obiecti est connaturalis, & diuturna, & non de novo adveniens non sufficienter animum vocat in actu primo ut in actu secundo sensationem illius producat: animus enim nequiquivocatus per præsentia obiecti, neque per eandem contra sui exigentiam attractus non se ad sensationem obiecti convertit, neque ab aliis expedit, nihilque de tali præsentia obiecti connaturali, & diuturna curat, quod Hispanè dicitur, *No le haze reparar.*

28 **QUINTA CONCLUSIO.** Tactus sentit calorem debitum ad sui temperaturam, quando immediatè antea præcessit prius illo, & informatur cōtrariâ qualitate. Hæc conclusio probatur experientia, cum enim manus nimis frigida aliquem calorem recipit, illum sentit ut primum recipere incipit, postea verò cessat à tali sensatione. Ratio huius conclusionis sumenda est ex præcedenti, quia quando organum præcessit sub qualitate contraria, adveniente illâ qualitate quæ illi est connaturalis, noviter agitatur per illius præsentia ac proinde avocatur ab aliis obiectis, & strahitur ad sensationem

Postea verò cum talis presentia obiecti nouitatem amittat, & sit connaturalis animo, non valet illum amovere ab aliis obiectis, quæ nouiter, & insolenter animum pulsant, ad quorum sensationes conuertitur nihil curans de presentia obiecti sibi connaturali, & non nouiter animum vocante.

29 **SEXTA CONCLUSIO.** Tactus non sentit calorem in subiecto extraneo sub illa intensione, sub qua existentem in proprio organo non sentit: hanc conclusionem probat experientia, cum enim manus æquæ calida alteri applicatur neutra calorem sentit: ratio est quia calor in eadem intensione, siue in alio subiecto receptus, eodem modo animum vocat ad sui sensationem: ergo calor, qui receptus in organo tactus non valet illum conuerti ad sui sensationem, neque in alio subiecto existens, id præstare poterit.

30 **SEPTIMA CONCLUSIO.** Cum sentitur calor excedens temperamentum organi, non tantum sentitur secundum gradus exuperantes, sed secundum omnes, quia omnes per modum vnius animum vocant ad sensationem, & illorum quilibet est sufficiens ad illam producendam.

31 De gustu eodem modo philosophandum est, ac de tactu, dicendumque nobis est gustum non sentire saporem sibi connaturalem & diuturnum: sic linguam nullum sentire saporem regulariter non applicato alio subiecto lapidoso, sentire tamen saporem sibi indebitum etiam inhaerentem in ipso organo. v. g. amarorem receptum in lingua hominis morbo laborantis.

32 **Obiicies.** Homo cum breuissimo tempore tangit ignem, non sentit illius calorem: ergo ex eo quod tactus tantum sentiat calorem in organo eiusdem receptum, aliis in vnicuique instanti, quo manus applicaretur igni, calorem illius sentiret, quia nulla est forma, quæ talem sensationem retardet. Resp. verum esse, manum tangentem ignem per vnicuique instantem, vel breuissimum tempus, vix illius calorem sentire, hoc tamen non provenire ex eo, quod calor non recipiatur in ipso organo tactus, vt probat ratio facta Conclusionem 4. Sed quia anima in illo instanti, seu breuissimo tempore non se conuertit ad sensationem eliciendam neque se ab aliis sensationibus expedit, quousque per aliquod tempus presentia obiecti tangatur, atque vocetur: & ob eandem rationem sentio non videri corpusculum aliquod separatim ab aliis, quia species producta ab illo non valet auocare animam ab aliis obiectis, vt se conuertat ad visionem efficiendam, quod simul cum aliis speciebus pariter per modum actus primi potentiam pulsantibus sufficiens præstat.

PUNCTUM II.

De sensu interno.

1 **P**raeter hos sensus externos dari alium communem, qui sentiat omnia obiecta sensata per externos sensus, fatentur omnes Philosophi. Probatur ex anatomia, quæ ab organis omnium sensuum inuenit nervos ad cerebrum deductos, per quos spiritus vitales trahuntur, & mittuntur simulacra, seu species sensationum exteriorum in sensum internum, si species hæc admittendæ sunt. Efficacius probatur eadē conclusio ex memoria animalium; videmus enim repetere loca, ubi commodum aliquod sunt experta, & fugere illa, in quibus incommodum reperere, quod fieri non potest si non permaneant species obiecti præteriti in aliquo sensu, cum verò sensus externi tantum obiecta presentia percipiant, necessum est alium internum assignari, quæ absentia cognoscant: tandem id probat experientia, quæ videtur sæpe canes dormientes simul, & latrantes, qui non possunt sine aliqua sensatione latrare, & hæc non potest esse sensuum exteriorum, quia hi somno ligantur, illorumque impeditur usus: ergo sensatio aliqua interni sensus.

2 Hunc sensum dari non tantum in brutis, sed etiam in homine affirmant Scholastici omnes, & præter rationem supra dictas probatur specialiter in homine ex appetitu sensitivo, qui negari non potest, experimur enim sæpe rapi, & inclinari in obiecta reuoluntate: ergo datur alius appetitus distinctus à voluntate: de quo dicebat Apostolus; *Scitis aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Dato in homine appetitu sensitivo materiali non potest potentia materialis cognoscitiua negari, quæ sensus internus dicitur, quia potentia appetitiua essentialiter supponit cognoscitiuam.

Varia sunt munera sensus interni, in primis enim est perceptiuus sensationum exteriorum, quod munus omnes communi sensui tribuunt. Secundum munus est conferre species desiderantes sensui communi: hoc imaginatur æstimator: datur: Quartum est insensata cognoscere: hoc impossibile; hoc phantasia accommodatur, unde inusitata, & monitro, seu chimerica simulacra phantasmata vocantur: Quintum est recordari obiectorum præteritorum. Est quæstio an pro singulis his numeribus diuersas potentias constituere debeamus, an vero omnia eadem communi sint tribuenda, quæ diuersis nominibus secundum diuersa illius gaudeat officia, Legatur PP. Comib. lib. 3. c. 3. q. 1. varias opiniones referentes. Ego modo breuiter defendo tantum dari vnicuique sensum internum pro omnibus actibus superadductis, siue dentur omnes, siue non, de quo postea ratio est, quia omnes possunt ab eadem potentia procedere: ergo non est necessarium potentias multiplicare, quod in mea sententia, quæ nullam ab anima distinguit constanter defendi debet.

Obiicies: ad recipiendas species conducit humiditas, ad retinendas siccitas: ergo non potest eadem potentia hæc duo obire munera, quia non potest habere dispositiones oppositas. Hoc argumentum probat diuersum fore subiectum receptiuum specierum, & conseruatorium illarum, quod per se apparet falsum, quia non potest subiectum speciei conseruare quin eas aliquando primo recipiat; quapropter Resp. ad recipiendas & ad conseruandas species non requiri siccitatem, neque humiditatem in summo, ac proinde potentiam attemperatam his duabus qualitatibus contrariis, quæ in gradibus remissis non contrariantur, posse ratione vnius qualitatis species recipere, & ratione alterius easdem conseruare.

Circa actus supra assignatos dicendum est dari actum sensus communis, scilicet perceptionem sensationum, & æstimatoriam, conseruationem videlicet specierum desiderantium sensui communi, & memoriam, quæ est recordatio obiectorum præteritorum; non tamen æstimatoriam, neque phantasia. Non dari actum æstimatoriam, scilicet cognitionem obiectorum insensatorum probatur: Sensus internus non est discursiuus: ergo non infert vnum ex alio: ergo per species vnius obiecti non potest aliud cognoscere, neque principium habet ad cognoscenda obiecta, quæ prius sensata non fuerint sensui aliquo externo, ni dicas illi infundi species obiectorum, quæ sensus externi non percipere, quod omni fundamento caret, cum homini non infundatur in intellectu, quæ est potentia longè nobilior sensui communi.

Obiicies. Ovis cognoscit disconuenientiam cum lupo & fugit ab illo, & conuenientiam cum cane, quem sequitur: sed conuenientia, & disconuenientia non sunt sensata per sensus externos: ergo aliquid cognoscitur per sensum internum quod per externos non fuit sensatum. Respondetur ouem non cognoscere conuenientiam, neque disconuenientiam cum cane, & lupo, sed tantum illorum externam figuram, quam attingit sensus externus, & interius cognita autem lupi figura per sensum internum, appetitum per naturalem antipathiam illam fugere sine alia cognitione, illa enim figura est inuisa, & ingrata oui, licet alij animali grata esse possit: sicut diuersa entia naturalia respectu eiusdem tertij habent diuersos appetitus innatos, hoc prosecutionis, & illud fugæ: aqua enim per naturalem inclinationem appetit frigiditatem, & ignis per innatam virtutem illam abhorret: sic appetitus elicitus in hoc animali inclinatur in hoc obiectum, & appetitus illius idem abhorret iuxta varias inclinationes, quas illis indidit auctor nature, qui lapidi omni absque vlla cognitione propensionem dedit in centrum ad sui conseruationem appetitissimum. Eadem inclinatio feruntur aues, & animalia tempore hyemis in hæc loca, & tempore veris in alia ad illorum conseruationem pro diuersitate temporum accommodata. Eodem modo cum aliquo morbo laborant pleraque animalia querunt herbas quas numquam fuerint experta, aptas ad purgationem, & prauos humores expellendos, quæ omnia in naturam inclinationem, & propensionem nature ab illius auctore inditam sunt tribuenda, qui illis hanc propensionem in proprium commodum est imperitus in supplementum rationis, & discursus, quibus carent.

Non dari actum phantasiæ componentem obiecta impossibilia

compossibilia eadem ratione proba. Sensus communis cognoscit per species, quas habet, neque illius est dicere, hoc est illud, neque substantias attingit, ac proinde non potest confundere prædicatum hirci cum prædicato cerui, sed tantum potest accidentia triusque cognoscere quasi contigua seu unita, quod non est dicere unum esse aliud, quatenus tamen potest percipere accidentia hirci, & cerui contigua, potest aliquo modo dici hirci-ceruum cognoscere, & phantasmata formare, & phantasia dici, in re tamen à sensu communi distinguenda non est.

8 Sensum communem residere in corde putarunt Aristot. & Chrysippus cum suis. Galenus acriter in hac parte inuehitur in Arist. lib. 1. c. 3. de placitis Hippoc. & Platonis, atque cæcè ad cæcos Arist. fuisse locutum ex ignorantia anatomie. Defendo cum communi sententia sensum communem residere in cerebro. Hæc est communis recentiorum sententia quam probat Galenus lib. 3. c. 11. anatomice experientia, quæ monstrat in organis omnium sensuum nervos quosdam, per quos sensationes deferuntur ad cerebrum, & spiritus animales trahuntur ad sensationum officinas.

9 Secundo quia dum quis nimio studio defatigatur dolorem sentit in capite, & non in corde, ergo in capite sensationes internæ exercentur, hæc enim hominē defatigant, non rationationes, neque discursus, sunt enim spirituales, ideoque per se non possunt dolores, neque defatigationem parere. Deinde phreneticis, in quibus organa sensationum internarum dispermperim patiuntur, non in corde medicamenta applicantur, sed in capite, quod signum certum est has operationes in capite exerceri. Argumeta, quæ pro sua sententia adducit Arist. magis sunt politica, quam Philosophica, neque solutione indigent, sunt enim leuissimi mometi.

PUNCTUM III.
De appetitu sensitivo.

1 D Ari appetitum sensitivum in homine, & in aliis animalibus constat ex dictis punctis præcedenti, & probatur testimonio Pauli relato, cui addit Concil. Trident. definens dari in nobis fomitem peccati, hoc est propensionem, & inclinationem in objecta delectabilia in quæ voluntatem fert, esset contra rectam rationis regulam, quia tamen hæc potentia, seu hic appetitus rationem antevertit, ideo actus illorum non sunt peccata illis voluntate reluctante, quæ Dei auxilio præventa suaves, fallacesque appetitus pulsationes, quæ animum pellicunt reddit irritas.

2 Hic appetitus dividitur in partem concupiscibilem, & irascibilem, quæ diuisio non est potentiarum differentium, sed actuum duorum ab eadem potentia provenientium, quatenus enim appetitus in bonum inclinatur, concupiscibilis dicitur, & quatenus malum fugit, irascibilis appellatur.

3 S. Thomas, qui sensum communem, imaginativam, &c. distinguit, tot appetitus internos materiales constituit, quot sensus internos seu potentias materiales internas, quia secundum multitudinem cognoscendum multiplicatur appetituum numerus: nos verò, qui potentiam unam cognoscitiam internam tantum cognoscimus, non debemus multiplicem appetitum internum concedere: sed unum tantum.

4 De sede huius appetitus existimavit Arist. esse cor, cui assentitur Galenus, parum consequenter, cum afferat sensum communem esse in cerebro, cui ego cum Hurt. disp. 17. sect. 10. virtutem appetitivam accommodo; cum enim appetitus dependeat à sensu communi, melius percipitur, quomodo cognitio sensus interni possit movere potentiam appetitivam, si in eodem subiecto utraque potentia resideat, quam si una ponatur in cerebro & alia in corde. Video rationem hanc non concludere; poteris enim dicere sufficere radicari in eadem anima actum sensus: & actum appetitus, ut hic possit ab illo dependere, etsi actus loco distent, quia eadem est anima, quæ cognoscit, & quæ appetit, præcipue rationalis, quæ est indivisibilis: sed in tota hac sensum materia vix ratio efficax invenitur, neque alia æquæ congruentem inuenies pro opposita sententia. His rationibus adde aliam petitam ex experientia aliquorum casuum, quos refert Hurd. supra, quibus visa sunt capita animalium à corpore abscissa voces eformare, quod signum est sensum communem in capite residere, & non corde.

5 Obiic. illud Evangelij: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Resp. nomine cordis, & aliarum partium animam intelli-

Franc. de Quejedo, Philosph. Tom. 11.

gi, alibi enim dicitur: Diliges proximum tuum ex toto corde tuo, & ex totis visceribus tuis: in visceribus autem nulla potentia appetitiva residere potest.

6 Obiic. Cor pati deliquit, & dolorem sentire obiectis diffonis: ergo in corde residet virtus appetitiva. Resp. cor pati his affectibus sicut reliquæ partes sensationibus externis, gravius tamen cor, quia est pars magis principalis, & ita peregrinæ impressiones magis eam mutant; deinde quia quando causâ metus, aut alterius rei sanguis deferit cor, vel nimius ad illud confugit, cor excessu sanguinis gravatur, vel illius recessu languescit, defectuque spirituum vitalium, qui sanguine abeunt.

7 Circa appetituum numerum Hurt. disp. 17. sect. 11. docet diuersis sensibus externis diuersos respondere appetitus, quod hac ratione probat. Bonum apprehensum est obiectum appetitus: sed bonum visum, & auditum, est bonum apprehensum: ergo obiectorum appetitus: sed non appetitus communis: ergo particularis: priorē syllogismum docet esse evidentē Hurt. Minor, seu antecedens secundi probatur: Appetitus internus non fertur in obiectum ut visum, & ut auditum, quia non movetur sensatione externâ: ergo debet dari alius appetitus, qui feratur in obiectum ut visum, & alius in obiectum, ut auditum. Si dicas appetitum internum sufficere ad omnia obiecta visa, & audita, quia fertur in illa remotè, quatenus fertur in ipsa iam sensata sensu interno: Occurrit Hurt. non sufficit appetitus rationalis ut feratur in obiecta sensata sensu communi, etiam si rationalis remotè feratur in obiecta sensu communi sensata: sed datur alius appetitus illi correspondens: ergo debet dari appetitus alij correspondens sensibus externis, seu obiectis sensatis sensibus externis. etiam si datur appetitus internus, qui remotè in illa obiecta feratur.

8 Hæc multiplicatio sensuum, est contra sensum, & consensum communem omnium, qui nunquam de his appetitibus meminere, quos inter potentias animæ recensere debuissent, sicuti sensus interni annumerantur. Deinde fundamentum Hurtadi nullius est momenti, quia bonum, neque ut cognitum cognitione spiritali, neque materiali, neque ut auditum, neque visum, est obiectum appetitus, si verbum ut reduplicet rationem formalem amandis: verò dicat conditionem; respondeo cognitionem spirituales, & sensationem internam appetitus materialis, quod probatur argumentis factis propriis locis: auditionem verò & alias sensationes non esse condiciones immediatas aliorum appetituum, quod ideo nego, quia nullum fundamentum ad affirmandum, neque ad hos appetitus constituendos inuenio.

9 Alij probant dari hos appetitus, quia in sensibus externis datur voluptas, & dolor: ergo datur appetitus coniunctus ipsis externis sensibus, quia hi neque delectantur neque dolent, neque complacent, neque displicent. Hurtadus hanc rationem non probat, & respondet appetitum communem gaudere, & displicere de obiecto sensato, quia sicut lux videtur in subiecto, in quo est à potentia distantis, sic dolor sentitur in obiecto, scilicet in organo sensus, quia inde speciem trahit in sensum communem, quo representato, appetitus de illo displicet.

10 Arriaga disp. 5. sect. 6. docet voluptatem, atque dolorem consistere in apprehensione, seu cognitione sensus communis percipientis obiectum sensatum sensu externo, & eodem modo, ac Hurtad. asserit sentiri in sensu externo seu organo illius, quia ibi est obiectum, cuius cognitio torquet, vel delectat animam, in qua residet voluptas, & dolor.

11 Utraque sententia displicet, quia dolor torquet pedem, in quo est: ergo actus in quo consistit dolor, est subiectivus in pede, & non tantum est in illo obiecto doloris: ergo actus doloris distinguitur ab actu sensus interni, & ab actu appetitus. Exemplum, quod adducit Hurt. de luce non est ad rem: lux enim videtur in subiecto, in quo est, v.g. in pariete obiectivus, non verò subiectivus, nequilli tribuit denominationem videtis: obiectum autè doloris, subiectivus torquet subiectum, in quo est, v.g. pedē vel manum quæ dolere dicimus.

12 Melius responderi existimo ipsam sensationem externam formaliter esse subiecto disconuenientē, & in ea formaliter consistere torturam, quam dolorem vocamus, & similiter in sensatione externa consistere molitiē, seu dulcedinem, quæ recreatur pars illa, in qua fit tactio, seu sensatio tactus, quæ dolori opponitur, & voluptas dici potest: nisi velis nomen voluptatis servare complacentiæ appetitus interni, quæ sensationem oppositam dolori sequitur, sicut dispendentia dolorem, seu sensationem subiectum torquentem.

PUNCTUM IV.

An de potentia Dei absoluta possit dari sensatio externa de obiecto non existenti.

- 1 Prima sententia est Buridani lib. 2. de anima q. 21. & 22. afferentis absque presentia obiecti posse naturaliter dari sensationem externam.
- 2 Secundam sententiam tenet Gabriel in 2. dist. 3. ubi affirmat obiectum non existens, vel absens adhuc de potentia Dei absoluta videri non posse.
- 3 Tertia sententia affirmat de potentia Dei absoluta posse sentiri obiectum absens, vel non existens posita à Deo in sensu externo specie impressa sensationis productivā. Ita P. Molina 1. p. q. 55. art. 2. disp. 2. membr. 5. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 53. sect. 41. Conimbr. lib. 2. de anima c. 6. q. 3. art. 1. Rub. lib. 2. de anima, tract. de obiectis, atque speciebus, q. 13. An verò productio speciei sit necessaria, ut à Deo suppleri non possit non omnes disputant. Conimbr. asserunt sine specie impressa in sensu producta adhuc de potentia Dei absoluta non posse fieri sensationem. Oppositum satis clarè insinuat Molina supra, & ex rationibus, quibus probant ferè omnes posse suppleri à Deo presentiam obiecti, clarè evincitur.
- 4 PRIMA CONCLUSIO. Naturaliter dari nequit sensatio externa, neque per minutulam temporis mensuram, sine presentia obiecti concurrentis ad sensationem immediatè per suam entitatem, vel per speciem dependentem ab illo in conservari. In hanc conclusionem conspirant ferè omnes Doctores, cuius ratio omnibus est communis, atque perspicua: species est producta ab obiecto, & dependet in fieri, & conservari ab illo: ergo illo absente naturaliter non potest species permanere: ergo obiectum absens non potest specie impressa mediante influere in sensationem, neque per se ipsum, quia agens non applicatum nequit agere in passum, quia nullo modo. Species producta ab obiecto dependere ab illo in conservari satis est manifestum; si enim hanc dependentiam non haberet, per longum tempus durarent in pupillā, sicuti species memoratiæ durant in sensu interno, & ego modò viderem obiectum, olim mihi præsens, quod iam diu abest. Respondebis species posse parum temporis durare absente obiecto, non verò per longum tempus. Contrā: Lux, & alij effectus, qui dependent in conservari à suis causis, nec minimā temporis particulā conservantur deficiente principio, à quo dependent in conservari: ergo sine fundamento de speciebus dicitur posse durare aliquo tempore illarum principio deficiente, imò contra rationem, si enim aliquantulum conservarentur pro illa minima parte temporis, assignanda esset actio dependens ab alio agente, quæ sicut primo incepit, posset diu durare.
- 5 SECUNDA CONCLUSIO. Potest Deus speciem impressam conservare absente obiecto. Probo: Species impressa tantum dependet in conservari ab obiecto in genere causæ efficientis, eo modo quo lux dependet à sole: ergo poterit Deus supplere hunc obiecti concursum immediatè producendo speciem impressam per aliam actionem distinctam ab illa, quā dependeret ab obiecto; neque aliqua repugnantia in hac conservatione reperiri potest, cum species impressa non sit forma vitalis dependens per se ipsam ab obiecto: Confirmatur; species impressa aliquando immediatè producit ab obiecto, aliquando ab alia specie impressa: ergo non dependet per se ipsam ab obiecto, sed mediā actione: ergo poterit dependere efficienter tantum à Deo mediā actione distincta ab illa, quā dependeret ab alia causa secunda.
- 6 TERTIA CONCLUSIO. Supposita specie impressa in potentia absente obiecto, supernaturaliter conservata obiectum etiam absens naturaliter potest videri. Probo hanc conclusionem: Obiectum duplici modo concurret ad sensationem mediā specie (loquor de obiecto quod mediis speciebus sentitur) per concursum actuum; & immediatè in genere causæ formalis extrinsecæ tenentis se ex parte obiecti, ut concurrat primo modo tantum requiritur applicatio speciei habentis vim actiā ad talem concursum exhibendum; ut concurrat in genere causæ formalis extrinsecæ tenentis se ex parte obiecti non requiritur illius existentia: ergo posita specie, etiam si obiectum non existat,

poterit concurrere absque nouo alio miraculo, præter conservationem speciei quam supponimus. In toto discursu tantum indiget probatione illud antecedens, quod dixi ad concursum obiectum non requiri existentiam obiecti, quod sic probo: obiectum purè quatenus obiectum obiecti, modo actiū efficiendi, seu mouendi, ex eo præcisè quod terminet nihil influit: ergo ad hoc ut obiectum terminet actum non requiritur illius presentia, imò neque existentia. Confirmatur: non minus terminat actum, quo iudico Petrum currere, Petrus currens, quā visio, qua video parietem album, paries albus: sed ad hoc, ut hoc obiectum Petrus currens terminet iudicium, non requiritur Petrum esse currentem: ergo ad hoc ut paries albus terminet visionem, requiritur parietem esse album. Dices dispartem esse rationem, quia iudicium quo ego iudico Petrum currere, quod non exigit Petrum currentem, est cognitio abstractivā; visio verò, qua video parietem album est intuitivā; ideo hæc exigit obiecti existentiam, & non illud. Contrā: obiectum cognitionis abstractivæ æquè terminat suam cognitionem, ac obiectum visionis intuitivæ, intuitivam visionem, neque ratio termini magis propriè, aut intrinsecè convenit obiecto visionis intuitivæ quā cognitionis abstractivæ: ergo præcisè ad rationem terminandi conclusio concursu actiū, quem præstat obiectum visionis intuitivæ, non magis requiritur existentia obiecti visionis intuitivæ, quā cognitionis abstractivæ. Quod ex alio capite requiritur existentia obiecti visionis intuitivæ ut conseruet speciem, non ignoscitur, sed iam suppono hanc existentiam esse dispensatā à Deo conservatè miraculose speciem.

Virgo: Si Deus conservaret speciem absque illo concursu obiecti, quod esset præsens in loco aliquantulum distanti à potentia, ex quo speciem iaculari posset, & naturaliter videri, etiam negato concursu ad producendam speciem, quem Deus suppleret, videretur: ergo eodem modo videretur etiam si distaret per mille leucas, imò etiam si non existeret, quod sic probo. Obiectum in tali casu distans per duas vlnas, non esset applicatum neque mediātè neque immediātè; non immediātè ut per se patet; non mediātè, quia obiectum in ratione obiecti non applicaretur mediis aliis proximioribus agenti, quia spatium intermedium poterat esse repletum aëre luce vacuo, qui videri non posset: ergo obiectum illud nullam haberet applicationem mediātè, vel immediātè, & tamen posset naturaliter terminare visionem: ergo eandem terminaret etiam si per longissima distaret spatia, imò etiam si non existeret, quia ideo obiectum applicatione non indiget ad terminandam visionem, quia præcisè per hoc quod est illam terminare, nihil præstat neque influit in visionem: quod autem nihil influit in visionem, non requiritur existens, ut existat visio.

QUARTA CONCLUSIO. Eademmet visio quæ ab specie procedit, seu quælibet alia sensatio, quæ immediatè producit ab obiecto non potest existere de potentia Dei absoluta non existente in rerum natura specie, vel obiecto, à quo immediatè procedebat: poterit tamen existere etiam si species, vel obiectum influens longè abest, dummodo existat in rerum natura. Ratio prioris partis conclusionis in meis principiis evidens est. Sensatio non dependet mediā actione interiectā à principio effectiū: ergo repugnat hæc numero sensatio sine hoc numero principio effectiū. Posterior pars conclusionis haud difficilè probatur. Presentia obiecti, vel speciei concurrentis effectiū ad sensationem, tantum requiritur sicuti applicatio inter agens, & passum; sed hæc applicatio potest suppleri à Deo ut probavi 7. Physic. ergo species, vel obiectum distans à potentia poterit agere in illam, & sensationem producere.

Dices, speciem distantem à potentia non posse illi esse unitam, ac proinde non posse cum illa effectiū concurrere. Respondeo dato ad præsentem questionem, speciem distinctam à potentia non posse illi esse unitam, negando non posse sine vnione cum potentia concurrere; quia etiam si vnio esset conditio ad talem concursum, posset Deus illam supplere, sicuti supplet conditionem approximationis. Adde talem vnionem non requiri, ut species impressa adiuvet potentiam ad operandum: si enim sine illa species posset esse applicata simul cum illa operaretur, sicuti alia compingit, quæ diuisa ab aliis simul cum illis per eandem indivisibilem entitatem influunt in effectum.

QUINTA CONCLUSIO. Potest dari de potentia Dei absoluta sensatio caloris non existentis procedens immediatè à Deo & à potentia visiva absque vlla specie interiecta. Probo.

Probo. Visio dependet ab specie impressa tanquam à principio effectiuo realiter operante : ergo poterit dari visio, quæ immediatè procedat à Deo supplente vices speciei impressæ. Probo consequentiam : visio coloris secundum id quod dicit præcisè in ratione visionis tendens in hoc obiectum ex nullo capite petit essentialiter dependere ab specie impressa : ergo poterit depẽdere à Deo speciali quodam modo, ita vt non dependeat ab specie impressa. Probo antecedens : visio quatenus est vitalis actio tantum petit dependere à vita immanenter operante, quod habet eo ipso quod procedat ab anima, modo dependeat ab specie impressa, modò tantum à Deo, & à potentia dependeat : secundum rationem constitutam in ratione visionis corporeæ tantum petit tendere circa tale obiectum : ergo nullum est prædicatum competens visioni corporeæ vt sic abstracta ab hac vel illa visione per quod petat necessariò ab specie impressa produci. Neque refert visionem dependere per se & immediatè à principio effectiuo, ne possit visio aliqua esse independens ab specie, ex hoc enim tantum infertur illam visionem, quæ de facto dependet vel dependere potest ab specie, non posse non dependere ab illa, quod tradidit in conclusione præcedenti : non tamen arguitur non posse dari visionem aliam siue numero, siue specie distinctam tendentem in eundem colorem dependentem tantum à Deo, & à potentia visiva, nullà interiecta specie, sicuti actus charitatis immediatè dependet à suis principiis, & potest dari actus per se & immediatè dependens ab habitu, & alius per se immediatè dependens à Deo speciali modo concurrente, & à potentia volitiua, & independenter ab habitu.

11 **SEXTA CONCLUSIO.** Visio, quæ procederet à Deo specialiter concurrente, & à potentia visiva independentem ab specie impressa talis esset natura, vt non solum posset esse supernaturaliter absque præsentia obiecti, sed vt neque naturaliter illam exigeret, & æquè bene posset naturaliter existere præsentem, vel absente, & adhuc non existente obiecto. Hæc conclusio alicui forsan singularis apparebit, illam tamen per legitimas & claras illationes deducam ex præcedentibus, in quibus nulla est non communis, quam maior pars Scholasticorum non tueatur. Sic argumentor ad probandam prædictam conclusionem. Visio per suamet entitatem dependens à potentia, & à Deo specialiter concurrente, independenter ab specie, nõ potest ab specie dependere, quia effectus, qui non dependet à suis principiis mediâ actione nunquam potest dependere ab illo à quo aliquando existens non dependet, vt notum est : ergo visio illa non indiget specie impressa, quia non potest exigere principium, à quo dependere illi repugnat : ergo non indiget præsentia obiecti. Probo consequentiam, visio tantum indiget obiecto quatenus indiget specie producenda ab illo quæ se habeat ex parte principij actiui respectu visionis, vel quatenus indiget illo immediatè concurrente : sed visio illa non indiget specie, neque indiget obiecto immediatè concurrente, quia per se immediatè dependet à Deo tantum specialiter operante ; & à potentia, & illi repugnaret dependere ab alio : ergo nullo modo indiget obiecto : Antecedens illud scilicet visionem (id dico de qualibet sensatione) tantum indigere præsentia, & existentia obiecti, quatenus indiget præsentia mittendâ ab illo, vel quatenus indiget eodem tenente se ex parte principij immediatè cõcurrente, traditum est conclusione tertia, vbi ex professo illud probauit.

12 Dices, hanc visionem indigere præsentia obiecti, vt hæc Deum determinet ad illam producendam, quam absente obiecto non produceret. Contrâ : præsentia obiecti ex se non est determinatiua respectu Dei ad hanc visionem producendam : ergo adhuc secundum hanc rationem visio non indiget præsentia obiecti. Antecedens probo, præsentia obiecti, v. g. coloris sentiendi per speciem, & coloris sentiendi sine specie intermedia non exigit, vt Deus cū potentia nullo alio principio concurrente producat sensationem : ergo non exigit sensationem procedentem à potentia, & à Deo specialiter concurrente : sed præsentia obiecti exigit concursum præstantum ab illo mediatè, vel immediatè actiue concurrentem in sensationem : v. g. præsentia coloris petit concursum ad producendam speciem impressam productiuam visionis, & media hac specie impressa petit visionem producendam à potentia & ab specie impressa, & præsentia caloris in opinione, quæ potentie tactuæ species negat, petit concursum immediatum in

actum tangendi, ac proinde præsentia vtriusque obiecti exigit sensationem distinctam ab illa, quam Deus produceret simul cum potentia nullo interueniente principio : ergo illa non exigeret præsentiam obiecti, vt Deum determinaret ad ipsius productionem : ergo nullo modo. Rationem propositam, paucis cinctam iterum do : Obiectum tantum requiritur vt mediatè, vel immediatè influat in sensationem : sed obiectum non potest influere mediatè, neque immediatè in sensationem procedentem à Deo, & à potentia tantum : ergo non requiritur ad sensationem hanc procedentem tantum à Deo, & à potentia.

13 **SEPTIMA CONCLUSIO.** Sensus qui possunt ferri in obiecta vt præsentia, possunt etiam ferri in obiecta vt distantia. Probo : Obiectum videri, vt distans est à me, (idem dico de auditu) nihil aliud est, quam me existentem Compluti illud videre Romæ præsens, seu cum præsentia Romana : sed existens Compluti possum illud videre cum præsentia Romana : ergo possum illud videre vt distans. Min. probo : potest de potentia absoluta præsentia Romana agere in passum sub quacumque magna distantia : ergo potest de potentia Dei absoluta producere speciem impressam sui in mea potentia Compluti existentem : ergo mea potentia visiva fecunda specie impressa misa à præsentia Romana poterit existens Compluti obiectum videre cum præsentia Romana : ergo poterit illud vt distans intueri. Alio modo : potest Deus in mea potentia Compluti existentem producere speciem impressam coloris, & præsentem, quam Romæ color habet, vel simul cum mea potentia, sine specie concurrere ad videndum colorem & præsentiam Romanam : ergo possum videre obiectum non solum distans, sed etiam vt distans : si dixeris ad percipiendam distantiam non solum requiri me existentem Compluti videre obiectum, & præsentiam, quam habet Romæ, sed requiri alia corpora interiacentia à me videri, de hoc non curabo, quod verum esse fateor, quia si semel concedas me posse videre obiectum cum præsentia Romana, negare non poteris posse simul interiacentia corpora à me videre. De sensibus aliis, qui non percipiunt obiecta præsentia per se notum est, non illa posse formaliter vt absentia percipere, quia non possunt aliquam illorum præsentiam attingere.

14 **OCTAVA CONCLUSIO.** Nullus sensus ferri potest in obiectum non existens formaliter vt non existens. Probo. Obiectum vt non existens dicit negationem, sed nullus sensus ferri potest in negationem : ergo nullus sensus ferri potest in obiectum vt non existens.

15 Obiiciunt Conimbricenses, vt probent non posse produci sensationem à Deo specie impressa non interueniente : sensus externi talis sunt naturæ, vt tendant in obiecta prout se habent hic & nunc, id est, prout materialibus sitis distantie, & quantitatis conditionibus affecta existunt, atque adeo vt præsentia à parte rei, vel saltem representata, vt præsentia. Non satis vim illationis percipio, atque adeo rationem retuli, vt iacet apud nostros Lusitanos. Si aliquid probaret ratio, conuinceret sensum non posse ferri nisi in obiectum physicè existens à parte rei, quia sensatio non debet ferri in obiectum vt existens tantum in sensu, quia quælibet cognitio etiam abstractiua, & falsa fertur in obiectum vt existens in potentia cognoscente in actu primo per principia producente cognitionem, & in actu secundo per ipsam cognitionem. Resp. sensatione necessariò representari rem existentem physicè à parte rei, & præsentem in aliquo loco, si sensus à quo procedit perceptiuus est sensibilis communis : & obiectum illud, quod representat attingere secundum omnia prædicata physica, & secundum omnes rationes, quas haberet si physicè existeret à parte rei ; non tamen exigere illud habere existentiam neque entitatem representatam, nisi solum ratione concursus actiui, quem obiectum præstare debet vt existat sensatio, qui si suppleatur à Deo producente speciem impressam vel immediatè in visionem influente, obiecti existentia ex nullo capite erit necessaria. Neque aliud argumentum alicuius momenti contra doctrinam traditam inueniri potest : tota enim difficultas, si qua est, nascitur ex intuitionem sensationis quæ obiectum existens exigere videtur, quia illud, vt existens representat, quæ iam soluta est, aliud enim est representare obiectum vt existens, hoc est illius formalem existentiam cum omnibus prædicatis, quæ includit existentia quando est in rerum natura ; aliud ita strictè illius existentiam physicam exigere, vt sine illa esse

non possit; primum est verum: secundum non probro.

16 Obiicies. Sensus non potest ferri extra suum obiectum; sed obiectum ut absens non est obiectum sensus: ergo non potest in illud sensatio aliqua tendere. Resp. obiectum ut absens, & ut præsens non dicere aliquid distinctum tenens se ex parte sui, si illud *ut absens* intelligatur respectu videtis, quia obiectum per eandem præsentiam Romanam dicitur absens respectu videtis existentis Matriti, & præsens respectu videtis existentis Romæ, ac proinde ut absens, & ut præsens esse obiectum potentie visuæ, quia præsentia Romana potest videri, visâ præsentia, quâ videns est Romæ, & tunc videbitur ut præsens, & visâ aliâ præsentia, quâ videns alio actu videt se esse Matriti, & tunc ut absens videbitur, non enim videtur obiectum formaliter ut absens, vel ut præsens ex vi visionis tantum, quâ Romæ videtur, quia obiectum cum præsentia Romana indifferens est, ut sit absens, vel præsens respectu videtis, à quo videtur, quia absentia, & præsentia inter duas res distinctas desumenda est necessàriò ab utriusque præsentia.

PUNCTUM V.

An sensus internus percipiat negationes.

1 SENSUM internum non percipere negationes communis sententia docet. Singularis iam in hac re Arriaga, disp. 5. sect. 5. nonnulla docuit difficilia. Asserit bruta negationes percipere per species insensatas infusas à Deo, & quod difficilius est bruta cum per foramen egredi tentat formare hoc iudicium, *ibi nihil est*, eo modo quo id pueri apprehendunt. Vtrumque impugno breviter: Species illæ negationis sine fundamento ponuntur in brutis: ergo male ponuntur. Constat antecedens ex impugnacionibus quas argumentis factis ab Arriaga ad probandum bruta percipere negationes applicabo. Secundum efficacius impugno: si brutum habet hoc iudicium *ibi nihil est*, necessàriò apprehendit rationem quandam communem abstractam ab omnibus negacionibus, quia apprehendit negationes omnium colorum per modum vnius, quia ut ipse expressè fatetur non facit hanc distinctionem non est ibi album, nigrum, rubrum, &c. ergo apprehendit has negationes sine distinctione inter ipsas: ergo brutum habet cognitionem abstractivam, & facit vniuersale, eo modo quo illud efficit homo, eademque proprietate: quia homo eatenus facit vniuersale, quatenus plura apprehendit sine distinctione inter ipsa, neque aliam vnitatem tribuit naturæ, quam ut vniuersalem apprehendit, iuxta opinionem Arriagæ, quam ut veram defendimus. Consequens existimo esse legitime illatum, quod si illud degluciat Arriaga, de oratore tenebitur bruta facere vniuersalia, per cognitionem procedentem à propriis obiecti speciebus: quod sic probro. Illud iudicium provenit ab speciebus negationum, quas Deus indidit brutis, ut defendit Arriaga: ergo vniuersale fit per species proprias negationum: ergo datur cognitio abstractiva procedens à propriis obiecti speciebus, quod tota negat Schola. Vltimò si animal sensationes sentit, videretque negationem lucis, posset canis videre modò negationes omnium graduum lucis, & negationes omnium colorum, quæ de facto in rerum natura existunt, quia illarum habitus videlicet gradus diversæ lucis, variiq; colores producti non fuerunt. Ad hæc, animal existens Compluti posset videre negationem lucis modò Romæ productæ, quia per productionem lucis existentis Romæ non corrumpuntur species, quas habebat de negatione eiusdem lucis: ergo poterit illam sentire, quia ut probabam puncto precedenti, præsentia vel existentia obiecti non requiritur ad sensationem, quando species impressa illius absque tali existentia valet subsistere.

2 Expendo argumenta facta ab Arriaga, ut videas absque fundamento has sensationes negationum brutis concessisse. Sic arguit: Brutum tentat egredi per foramen, vel portam muri, & non per aliam partem muri, non casu, quia via recta tendit in foramen illud: ergo percipit ibi non esse impedimentum ad egrediendum, quod percipit aliis partibus muri, quas non impedit. Probo contra Arriagam necessum non esse canem videre negationem impedimenti, ut tentet exire per partem, aut foramen muri. Cum canis tenetur cubiculo obscuro, in quo nihil videt, tentat per omnes partes illius exire, & non semel pa-

rietes frustra attrectat manibus, ut fugam capessat: ergo ut canis viâ tentet per aliquod spatium, necessum non est ipsum videre impedimenti negationem, sed sufficit impedimentum non vidisse. Ex hac doctrina solutione aperta habet argumentum Arriagæ, cui resp. canem videt murum, vel pannum pendente, viam tendere per portam, vel foramen muri, vel panni, quia per illud spatium nullum videt impedimentum, quo retrahatur à viâ, quam intendit ut perveniat ad terminum, in quem viam destinat, vel attractum obiecto, quod ibi præsentit, vel ut fugiat obiectum aliud, cuius molestiam sensationem patiebatur in spatio, in quo antea erat, quem motum non ordinat per medium patientem, seu pannum, quia illius visionem deterratur.

Arguit similiter Arriaga: Vrsus cum lapidem manu caput, ut in hominem iaciat, non magnum aliquod saxum intendit apprehendere, sed parvum lapidem quem manu continere possit: ergo apprehendit convenientiam in ipsa parvitate lapidis, siue in negatione magnitudinis: ergo apprehendit negationem ipsam. Hoc argumentum eodem modo infringitur, ac præcedens, cui ex eadem doctrina resp. Vrsus convenientiam apprehendere in tanta magnitudine lapidis ut lapidem in hominem iaciat, & disconvenientiam in excessu huius magnitudinis quam agnoscit in ingenti saxo; & ita hac disconvenientia motus ingens saxum apprehendere non intendit, sed parvum lapidem, in quo possit apprehendere positivam extensionem requisitam ad id, quod intendit, & ex alio capite nihil apprehendit disconvenientiam in ipso lapide, ac proinde motus possit extensionem, & non motus excessu maioris requisitum, parvum lapidem apprehendit.

Aliud argumentum desumit Arriaga ex sensatione vmbre quo sic utitur. Canis terretur vmbra hominis: ergo sentit vmbra: ergo sensatio negationem attingit. Canem non terret tantum sensatione vmbre perspicuum esse existimo, quia si canis non sentiret vmbra talem figuram referentem, sed per aliud maius spatium diffusam, illa non terretur, in quo casu eandem negationem, quam antea, sentiret, eadem enim est negatio in spatio magno ingenti corpore lucem impediens, quæ erat, dum homo in aliqua illius parte lucem impediens, & vmbra referretur in similitudinem propriæ figuræ, quia corpus magnum lucem quam impediens homo, & rursus aliam impediens: ergo canis saltem inadæquatè terretur luce cingente negationem lucis, ratione cuius negatio illa similitudinem refert hominis, cuius dicitur vmbra.

Probavi lucem saltem inadæquatè canem deterere, modò assero terretur adæquatè luce cingente vmbra, & memoriâ lucis, quæ immediatè præcellat in spatio, in quo est vmbra, quando immediatè præcessit iuncta negatione sensationis, quam antea habebat circa lucem per vmbra extinctam, quæ negatio sensationis per se ad terrorem non conducit, sed est veluti occasio, ut alia sensationes possint terrorem incutiant, sicuti cum homo fecerit aliquod monstrum primò videt tunc terretur, & non postquâ illud primò vidit; & certè non ex alio capite nisi quia negatio sensationis immediatè præcessit primam temporis mensuram, in quo monstrum videt, & non immediatè præcessit subsequens tempus, in quo non deterretur monstrum visione: ergo sicuti negatio sensationis præexistens plurimum conducit, ut hic & nunc terreatur animal monstrum visione, sic negatio sensationis circa lucem in spatio, in quo est vmbra hic, & nunc existens plurimum conducere potest, ut sensatio circa lucem intentam vmbra cingentè, & sensatio circa lucem remissam, in qua est vmbra animal deterreat: Dixi memoriâ lucis immediatè existentis in spatio, in quo est vmbra, conducere ad terrorem animalis, quia ut plurimum animalia terrentur cum vmbra successivè fit ad motum corporis successivè se mouentis. Quod si animal aliquando terreatur vmbra immota, tunc talis memoriâ actus ad terrorem non conducet, sed totus erit in sensatione intensæ lucis cingentis in spatio, in quo est vmbra supposita negatione sensationis circa lucem intentam in eodem spatio vmbroso.

PUNCTUM VI.

Nonnulla expediunt de potentiis materialibus.

PRIMò inquiritur: An potentia materialis possit obiectum spirituale pertingere? Potentias materiales modò existentes

existentes non posse obiecta spiritalia sentire certum existimo, quia obiectum spirituale est extra rationem obiectivam illarum, nec ullum est fundamentum, ut his potentiis tribuamus virtutem adhuc inchoatam, & obedientialem respectu actuum tendentium in obiecta spiritalia. De aliis potentiis, quæ à Deo possunt creari, maior est difficultas, neque coniectum iri puto qui assereret posse dari virtutem aliquam materialem distinctam ab his potentiis quæ modò dantur, siue nomine *sensus*, siue alio esset appellanda, spiritalis obiecti perceptivam. Nihilominus verius existimo talem potentiam repugnare propter improprietatem, quæ est inter potentiam materialem, & obiectum spirituale, quia si semel admittatur potentia materialem posse tendere in obiectum spirituale, facilis erit transitus de obiecto naturali spiritali ad obiectum supernaturale: & rursus de obiecto supernaturale finito ad supernaturale infinitum, gradum aliquis facere tentabit, neque nova ratione, sed nova audacia indigebit paradoxos novitatum invenire, ut hæc defendat. Dicendum ergo est (ne aditus his pateat) obiectum omnis potentie materialis etiam possibilis terminus materialitatis contineri, ad quam conclusionem trahor non aliqua demonstratione coniectus, sed prudenti quadam religione in modo philosophandi, ne terminos Philosophiæ quos percutit illi Principes præfixere absque fundamento transiliam, quos si similis religio non stabiliat, nulli delirio non patebunt, quod irridere quique poterit & forsitan nemo efficaciter impugnet. Nec in hac difficultate amplius immorandum, nihil enim in illa non vulgare dici potest. Nonnullos legi prolixè satis rem tractantes: ex quibus didici materiam hanc maiori examine dignam non esse.

2. Secundo inquiritur, an in sensibus detur error? Resp. non posse dari naturaliter, quia sensus semper percipit obiecta per proprias obiectorum species, vel per immediatum illorum concursum; species autem & obiecta semper producant sensationes tendentes in eadem obiecta, à quibus mediatur, vel immediate est, neque mediis speciebus, quæ in conservari dependent ab obiectis, nisi ab his actu existentibus, ac proinde semper obiecta, quæ in rerum natura existunt, naturaliter repræsentant; supernaturaliter posse dari errore in sensibus constat ex dictis Punct. 4. ubi probavi sensationem posse fieri in obiectum non existentem.

3. Obiic. Per nos potest dari sensatio, quæ adhuc naturaliter non petat existentiam in obiecto: ergo illi sensationi naturaliter error contingere potest. Resp. distinguendo: Potest dari sensatio, quæ naturaliter non petat existentiam obiecti; naturaliter, nego: supernaturaliter concedo: appellant huiusmodi *naturaliter*, & *supernaturaliter*, per quos fit distinctio supra illud potest dari; ergo illi sensationi naturaliter potest error contingere; distinguo consequens ex suppositione, quod supernaturaliter existat concedo: absolute, nego, quia sensationi, quæ naturaliter esse non potest, nihil naturaliter potest contingere, supponit enim quidquid illi contingit, suam existentiam, quæ naturaliter esse nequit.

4. Obiic. Cum quis Iridem intuetur, videt colorem, qui non est; ergo illa sensatio est falsa. Resp. intuentem Iridem non videre colorem, sed lucem visione quadam quæ fundamentum præbet intellectui ut ipse decipiatur, absque sensus deceptione.

5. Tertiò inquiritur: an sensibile supra sensum faciat sensationem? Negativa pars communiter traditur ex Aristotele, quem interpretor cum Scoto de corpore opaco immediate posito supra sensum, quod videri non posse, præter experientiam, ratione probatur: obiectum ut videatur indiget luce, vel ex parte mediæ vel ex parte obiecti: sed obiectum immediate applicatum potentie visivæ non potest esse lucidum, neque medium habet lucidum per quod videatur: ergo videri nequit. De luce & de alio corpore diaphano luce perfuso sentio videri posse etiam immediatum potentie, quia corpus illud virtutem habet ad producendam speciem impressam sui, neque ratione applicationis est impeditum, quia illam produceret in aëre immediato: ergo potiori ratione in ipsis organis potentie visivæ, quæ aptissima sunt ad illas recipiendas: potentia visiva poterit speciebus productis à luce immediata organis ipsius lucem immediatam videre. Idem dico de corpore diaphano.

6. Obiic. Sequi ex hoc potentiam visivam posse videre lumen existens in pupilla. Resp. negando sequelam, quia lux

non videtur nisi mediis speciebus, quas producit in subiecto, in quo non est. Instabis saltem videndam esse lucem existentem in ipsis tunicis, & harum colores eodem modo videndos. Resp. negando similiter hanc sequelam, quia nulla species potest pervenire ad humorem crystallinum, nisi prius fuerit transmissa per omnes membranas pertinentes ad deorganizationem potentie, ideo enim requiruntur, ut species in illis quasi defæcatæ ad ultimum organi, in quo potentia residet, aptæ ad visionis productionem perveniant: species autem obiecti existentis in aliqua membrana non possunt in eadem membrana recipi, & ita non possunt mitti ad potentiam cum aptitudine ad visionem producendam.

Obiic. Nos experimur non videre lucem immediatam oculis: ergo falsa est nostra conclusio, & contra experientiam. Resp. nos non habere talem experientiam, sed tantum experiri, non posse discerni à nobis inter lucem immediatam oculis, & aliam magis remotam; quod ex eo est, quia lux immediata, & mediata oculis eiusdem est rationis, & per modum unius obiecti continui repræsentatur, & ita non valemus inter singulas illius partes discernere.

Quartò inquiritur: an sensus lædatur vehementi sensibili? Resp. sensationem vehementis sensibilis etiam vehementem aliquando sensum, & animam recreare, ut patet in visione pulcherrimi obiecti, auditione suavisissimi concentus, & olfactione fragrantissimi electri, aliquandoque sensationibus obiectorum potentiam, seu animam maxime torqueri, & angere, ut patet in visione fœdi monstri, auditione inordinati strepitus, & sensationibus, quibus sentimus odorem foetidi cadaveris, & calorem ingentis ignis. Adde tamen his sensationibus subiectum non corrumpi, quia sunt intentionales, non physice, & non opponuntur temperamento requisito ad conservationem potentie, atque viventis; lædatur tamen aliquando sensus vehementi sensibili non per ipsas sensationes immediate, sed quia aliquando ab ipso obiecto sensibili plures noxiæ qualitates mittuntur in sensum, per quas corrumpitur temperamentum requisitum ad illius conservationem. Aliquando lædatur, quia vehemens sensatio pluribus indiget spiritibus, ut fiat, qui calidissimi sunt, & præ multitudine illorum confluentium ad visionem efficiendam, temperamentum organi nimio illorum calore dissolvitur. Lege si placet Conimbr. lib. 2. cap. 12. q. unica.

Ultimò inquiritur: an sensus externi suas sensationes percipiant? Resp. negativè, quia non est illorum supra proprios actus reflectere, quæ tantum alias qualitates ut obiecta respiciunt; potentia visiva lucem, & colorem, & non sensationem propriam, & sic alij sensus obiecta respiciunt, quæ supra illis assignavimus.

CONTROVERSIA V.

De potentia intellectiva, & de illius actibus.

¶ G1 de potentiis materialibus, iam ad spirituales gradum facio, quarum prima est Intellectus, de quo mihi in præsentiarum sermo est instituendus.

PUNCTUM PRIMUM.

De Intellectu agentis.

In intellectu agentis designando plures errores commiserunt Ethnici Philosophi, quos leges apud Conimbr. lib. 3. de anima c. 5. q. 2. Ego de his, quæ inter Catholicos possunt in questionem cadere tantum meminero.

Intellectum agentem non distinguere à possibili, communis opinio Doctorum, qui his temporibus scripsere, tueretur, cum multis ex antiquioribus, licet non pauci ex verustis distinctionem realem inter intellectum agentem, & possibilem reperiri velint. Nos verò, qui reliquas potestates inter se realiter non distinguimus, tenemur cum communi sententia